



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Corbinianus Ep. 8. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

nis aditus ad ergastula martyrum jam negabatur, positis capillis, ut viro femina animos adderet, virum induit, cumque membris truncandi jam Christi milites essent, id scilicet à carnifice multis precibus blanditiisque exoravit, ut primas conjux teneret; ab hoc verò, ut sponte manus securi subiceret. Ipsa dexteram ADRIANI legens thesauri loco (& erat) asservavit. Nec multò post eum ADRIANVS ad cælitum gaudia Nataliam etiam invitasset, conjugi suo conjux iterum & æternum juncta est. Quamvis quid conjuges dico, quando in utroque virum agnovimus? *Ex Surio.*

*Qua collatio tui est ad ineffabilem, ad incomparabilem, ad incomprehensibilem Deum? nihil ei ad mensuram meriti retribuere potes, si in retributione eorum, qua pro te sustinuit, te millies mille annis gehennali incendio cruciaries. S. Bern. op. de char. c. 27.*

S. CORBINIANUS EP. 8. Septembris.

CORBINIANVM fugientem è Galliâ honor Romæ assecutus in totius orbis oculis infulâ mactatum in patriam remisit. Iterum Romam dum fugit, ursum qui clitellarium equum interceptum absumpserat, vicariam sibi operam jubet addicere, & cum equo equi etiam sarcinas ferre. Reduci per Bavariam Grimoaldus Dux hospitium offert. At negat ille impudiciæ stabulum hospitium sibi fore, pelleret, quam uxoris loco haberet, Pilitrudem, fratris nuper conjugem. Advolant, ecce, uterque, & infâmes nuptias ejurant. Subinde CORBINIANVS ad epulum vocatur. Adest, benè precatur, assidet. Sed dum Grimoaldus buccam cani objectat (audite qui canes plures quàm pauperes alitis) eversâ mensâ è diatâ se proripit, de-  
testatus

testatus epulas, quibus quidem Præsul dixisset benè, sed canes accubuissent: se deinceps cum hominibus cœnaturum. Non multò post in Strigem offendit, audit incantationibus Pilitrudis filio salutem attulisse, invicem ingentia munera abstulisse. Enimverò jubet omnia in prædam egenis cedere, debitaque superstitioni stipendia probra & plagas numerat; mox paratas capiti à Pilitrude infidias effugit, sed non perinde etiam hæc cælitas. Nam primò filium, mox etiam maritum vitâ videt exturbari. Ipsam longum funus vivumque, captivam; Galli abducunt; exulem dein in Italiam asellus asportat. At CORBINIANI tumulum suis cælum funeralibus ornavit, Frisinga pro Asylo habet. *Ex tom. 1. Annal. Boio.*

*Debemus animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, quod, velimus nolimus, abesse longius non potest: nam si nongentos vitæ excederemus annos, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset.*

S. Hieron. ep. 3.

S. BONFILIUS ORD. SERV. B. M. V.

8. Septembris.

Quid Roma pileum, quid secundum libertatem vindicias crepas? ego iterum illos laudo, qui pulchram servitutem sub Mariæ nomine circumferunt. Tu felicissima servitutis cunabula audi. Fuit jam olim nobilis inter cives Florentinos Societas VIRGINI sacra. Hi dum ex more festum cælo translatae diem agunt, BONFILIUS pars magna & ipse horum, quiniq̄ alii faces subdipectori senserunt, quibus, ut se totos VIRGINI manciparent, inflammabantur. Nec mora, vitam opesque veteres cum veste ponunt, & novus ipso

T 4

Natae